Programm,

wodurch zu der auf

Donnerstag und Sonnabend den 14. und 16. August

angesetzten

öffentlichen Prüfung und Redeübung der Schüler

des

Königlichen Progymnasiums

zu Sagan

ergebenst einladet

Dr. Floegel,

Rektor.

Inhalt:

Sorau,

Druck der J. D. Rauert'schen Buchdruckerei.

1845.

QUÆSTIONUM TRAGICARUM

PARS I.

FRAGMENTA AGATHONIS COLLECTA

EDIDIT

W. C. KAYSER,

PHILOSOPH. DOCTOR, LATINÆ SOCIETATIS JENENSIS SOCIUS, GYMNASI PRÆCEPTOR.

Si quid alibi aliter dictum; hoc magis mihi amicus (eris), quo liberius monueris, quia inter eos ego qui labi et errare possunt, sed et inter eos qui resurgere et emendari.

Just. Lips. Ep. Cent. I, 59.

In quacunque literarum et liberalium artium historia duplex temporis spatium animo definiendum est, unum, quo literati homines atque artifices nulla plane praecepta tenent, quae sano quodam veri pulchrique sensu ducti sequantur, alterum, si non modo ex iis, quae agunt, artem efficiunt, sed illud quoque genus norunt, quod superioribus ipsorum aemulis placuit, caussasque perspexerunt, de quibus id illis fuerit excolendum. Et quanquam illa aetas suis abundat laudibus, tamen haec multo perfectior atque laudabilior est. Succedit autem tertium plerumque genus alteri proximum et cognatum. Namque artifex quo majore industria leges ac modos observat, eo diligentius, oculis a perfectione totius operis dejectis, singulas ejus partes perpoliens cunctis ornamentis auget, quamvis copia eorum paullatim usque adeo crescat, ut efficientiam totius operis tollant, utque artes undique collectae generi, in quo laborat, natura contrariae videantur. Tum vero ex ipsa contemplatione praecepta manant; quibus utentes idoneum instrumentum habent, quo jejunitatem bonarum artium quodammodo possint removere. Namque ille fons malorum uberrimus est, quod, cum ingenuae artes florere atque in honore haberi coeperunt, magnus poëtarum numerus prodit, qui, tametsi in poësis commoda nati non sunt, honoris tamen cupidi homines poëmatis oblectent. Qui cum rectam rationem negligant veramque literarum generis naturam ignorent, favorem consectantes vel pravo aequalium judicio serviunt, vel morem libidinibus gerunt, vel id, quod neque interna, nec simplici compositione assequuntur, externis sese alienisque sperant proprietatibus esse consecuturos. Ac primum illud genus animos granditate praecipue commovet; secundum insigni pulchritudine conspicuum est; tertium accurata cognitione dignum videtur, quod in eo natura literarum artiumque clarissime apparet.

Quoniam igitur fragmenta tragicorum Graecorum, de quibus nuper copiose disputavimus, collecta interpretari statuimus, neque huic operi nisi subseciva tempora potuimus tribuere, praeprimis ab Agathone ordiri libuit, cum

annalibus scholae praefari juberemur. Is enim fuit, qui, cum tertium tragoediae genus florere coepisset, tam summum ingenium exhibuit, quam maximas in arte excolenda vires ostendit. Vide Hist. Crit. pg. 141.

FRAGMENTA AGATHONIS.

1.

AEROPE.

Etym. Magn. s. v. *εἴσῃμεν· καὶ εἴσῃσαν ἀντὶ τοῦ εἰσῄεσαν σὺν τῷ ε. Ἀγάθων Ἀερόπῃ·*

Buttmannus, Gr. Gr. T. I. pg. 540, eandem esse formam arbitratur, quae Thucyd. I, 1. Dionysi Hal., Suidae, Scholiastae auctoritate nuper vindicata est. Cf. Interp. ad h. l.

2.

ALCMAEO.

Bekker Anecdot. Gr. Vol. I. pg. 353: *Ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια δρᾶν Δείναρχος εἶπε καὶ Σοφοκλῆς· ἀθεμιστότεροι Ξενοφῶν· καὶ ἀθέμιστοι Μοῦσαι εἶπεν Ἀγάθων ἐν Ἀλκμαίωνι.*

Eandem vocem alii lexicographi, ut Suidas, explicarunt. Nec vero Dinarchus hic erat citandus, apud quem talia nusquam legimus, sed Antiphon pg. 127. Cetera Soph. Fragm. 811 et Xenophon Cyrop. VIII, 5. leguntur.

3.

TELEPHUS.

Athen. X. pg. 454. D. *τὸ δ' αὐτὸ πεποίηκε καὶ Ἀγάθων, ὁ τραγῳδιοποιός, ἐν τῷ Τηλέφῳ. ἀγράμματος γάρ τις κἀνταῦθα δηλοῖ τὴν τοῦ Θησέως ἐπιγραφὴν οὕτως·*

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μεσόμφαλος κύκλος,
ὀρθοί τε κανόνες ἐζυγωμένοι δύο,

Σκυθικῷ τε τόξῳ τὸ τρίτον ἦν προσεμφερές·
ἔπειτα τριόδους πλάγιος ἦν προσκείμενος,
ἐφ' ἑνός τε κανόνος ἦσαν ἐζυγωμένοι δύο,
ὅπερ δὲ τρίτον ἦν καὶ τελευταῖον πάλιν.

v. 3. *τὸ* in plurimis exemplaribus omissum est. — 4. Editt. *πλάγιον ἦν προςκείμενος·* — v. 6. Mss. *ὅπερ δὲ τὸ τρίτον·* —

Quum Euripides similiter notas descripserit, quibus idem nomen signatur Athen., videre licet, quantum is copia dicendi superaverit Agathonem.

4.

THYESTES.

Athen. XII. pg. 528 D. *Ἀγάθων δ' ἐν τῷ Θυέστῃ τοὺς τὴν Πρώνακτος θυγατέρα μνηστεύοντας τοῖς τε λοιποῖς πᾶσιν ἐξησκημένους ἐλθεῖν καὶ κομῶντας τὰς κεφαλάς. ἐπεὶ δ' ἀπέτυχον τοῦ γάμου·*

κόμας ἐκειράμεσθα (φησί), μάρτυρας τρυφῆς,
ἧπου ποθεινὸν χρῆμα παιζούσῃ φρενί.
ἐπώνυμον γοῦν εὐθὺς ἔσχομεν κλέος,
Κουρῆτες εἶναι, κουρίμου χάριν τριχός.

Ed. Bas. et Cas. *Πρόνακτος* habet, quod Schweighaeuserus correxit. v. 1. Mss. *ἐκειράμεθα*; Casaubonus *ἐκειράμεσθα* restituit. — v. 3. Eustath. ad Hom. Il. *ψ* pg. 1292. *ἔχομεν·*

Hos versus, ab Heynio ad Apollod. I, 9, 13. citatos, in Hist. Crit. pg. 164. interpretati sumus. Vide etiam Schweigh. ad h. l. 1., *τρυφῆς*. Nam luxuriae Curetes admodum dediti fuisse dicuntur, Strabo X, 3. — v. 2., *χρῆμα* Bernhard. Synt. pg. 52. — *παιζούσῃ φρενί.* Amatorii ludi significari videntur, quos filiam Pronactis petentes fecerant. Namque ita *παίζειν* usurpari, Naekius Choeril. pg. 196. docuit *) Simillima sunt Latinorum vocabula jocus, jocari, ludus, lusus, ludere Catull. 61, 210; Tibull. I, 5, 26, 8, 71; Horat. Carm. III, 12, 1. c. not. Mitscherl., Ep. II. 2, 214. c. not. Orell; Petron. Sat. 127, 10.

---

*) *παίζεσθαι πρὸς ἀλλήλους* hac vi legimus ap. Xenoph. Conviv. IX, 1.

FRAGMENTA INCERTARUM FABULARUM.

5.

Athen. V. pg. 185. A. *ἡμεῖς γὰρ κατὰ τὸν καλὸν Ἀγάθωνα·*
τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὥς, ποιούμεθα·
τὸ δ' ἔργον, ὡς πάρεργον, ἐκπονούμεθα.

Sic verba in libris Athenaei scribuntur, quemadmodum ap. Grotium Exc. pg. 436 et Kusterum ad Aristoph. Thesm. 60. invenimus. Sed Clem. Alex. Strom. V. pg. 614 ed. Sylb., qui eosdem versiculos laudat, in primo *ἡγούμενοι* pro *ποιούμεθα*, in altero *ἐκπονούμενοι* pro *ἐκπονούμεθα* habet, sive memoria lapsus, sive dictum poëtae ad sermonis perpetuitatem accomodavit. Enimvero sic eorum, quae contraria inter se poëta artificiose conjunxit, vim temere minuisse videtur illamque proprietatem sustulisse, quae in Agathone maxime singularis fuit. Hist. Crit. pg. 170.

His versibus poëta perversitatem hominum vituperat, qui, cum negligenter ea tractare soleant, in quibus nova opera ipsis collocanda sit, res minutas ac pusillas saepius cupidissime persequantur. Erasm. Adag. II. 1, 22. Quod si quaesieris hanc sententiam quomodo ornarit, primum versiculos inter se contrarios invenies copulatos, tum singulas eorum partes ita comparatas, ut accuratissime sibi respondeant, utque omnis oratio acerrima rhetorum norma directa videatur. Accedunt extrema versuum verba, quae similiter cadunt. Sed quid impedit, quominus *ἐκποιούμεθα* scribamus? Similiter Plat. Euthyd. pg. 275. D. Ep. VII. pg. 330 l. contrariis usus est.

6.

Athen. V. pg. 211 E. *Κατὰ γὰρ τὸν Ἀγάθωνα·*
Εἰ μὲν φράσω τἀληθὲς, οὐχί σ' εὐφρανῶ·
εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

Si Agatho *φράζω* scripsisset, futurum tempus non ita bene praesens sequeretur. At libri *φράσω* habent. Itaque non est, quod Grotius Exc. pg. 437, 962. improbare potuerit.

Est igitur hoc alterum artis, qua Agatho praestitit, specimen, quod habet illa, quae diximus. Sententiam expressit, a plurimis fere populis proverbiorum usu confirmatam. Cf. Terent. Andr. I. 1, 40; Cic. ad Attic. III, 24, Lael. 24; Pers. Sat. I, 107; Erasm. Adag. II, 9, 53.

7.

Athen. X. pg. 445, C. *Καὶ ὅς ἔφη·*

Ἀπολεῖς μ' ἐρωτῶν (κατὰ τὸν καλὸν Ἀγάθωνα)
καὶ σὺ καὶ ὁ νέος τρόπος
ἐν οὐ πρέποντι τοῖς λόγοισι χρώμενος.

Grotius Exc. l. l., adversantibus libris, *Νεότροπος* legit. Quae conjectura quid commodi afferat, plane non video. Schweighaeuserus haec lingua Latina sic vertit:

Occidis me interrogando et tu et mos novus,
Intempestivis me sermonibus interpellans.

Sed quaeritur, verba *ἐν οὐ πρέποντι* ad temporis opportunitatem, an ad sermonem inhonestum relata fuerint. Fortasse haec juvenem monuit puella, quacum is de turpibus rebus colloqui coepisset. Tales enim sermones neque ab Agathonis poësi fuerunt alieni, et perturbationem illam (*ἀπολεῖς μ' ἐρωτῶν*) facilius commovere potuerunt. In quo animadvertas, vim vocis *ἀπόλλυμι* frequentissimo usu obsolevisse.

8.

Athen. XIII. pg. 584, A. *Κατὰ γὰρ τὸν Ἀγάθωνα·*

γυνὴ τὸ σῶμα . . . . . δι' ἀργίαν
ψυχῆς φρόνησιν ἐντὸς οὐκ ἀργὸν φέρει.

Mutili sunt versus, quos exemplaria habent, sive metrum, sive sententia spectatur. Itaque Grotius Exc. pg. 437, 962

γυνὴ δὲ σώματος δι' ἀργίαν κ. τ. λ.

Qui quanquam non totum versum reposuit, cujus prior pars videretur ipsi intercidisse, posteriorem tamen, qualem sibi finxerat, ad metri ac sententiae integritatem revocasse quodammodo putandus est. A quo Porsonus non multum deflexit, scribens:

γυνή τοι σώματος δι' ἀργίαν.

Plenum trimetrum nuper Meinekius Exercit. Phil. Spec. I. pg. 41 refecit:

γυνὴ τὸ σῶμ' ἀνειμένη δι' ἀργίαν,

cum vocabula *ἀνειμένος* et *ἀργὸς* ap. Plutarch. de Fortit. Alex. pg. 332. C. similiter conjuncta repperisset. Nimirum sic Agatho scribere potuit; sed num scripserit, etiam nunc mihi dubium est. Itaque conjecturam Groti, aut Porsoni potius tuemur, quae majorem habet vulgatae lectionis similitudinem.

Sed mulierum prudentia plerumque olim contemnebatur, Erasm. Adag. III, 6, 51.

9.

Stob. Florileg. III, 16 (ed. Gaisf.) Ἀγάθωνος·

Οὐ τῇ φρονήσει, τῇ τύχῃ δ' ἐσφάλμεθα.

Sic Gaisford. Namque is nomen poëtae recepit ex libro Parisino A., cum Sophocli hoc dictum Trincavellus assignare videatur. Itaque auctoritatem libri sequamur hoc loco praesertim perturbato, cujus lacunas editor Venetus ita explevit, ut cupidius nomen inferserit Sophoclis.

Sunt, qui fide librorum ἑπητέον scribant. Quid vero poëta comprobasset, si vera haec esset scriptura? Fortunam enim ducem laudasset, cum optimus quisque prudentiam sibi sequendam esse putaret; idemque primas fortunae tribuisset, prudentiae reliquisset secundas, cum Stobaeus aliquem prudentiae laudes efferentem deberet introducere. Est autem altera lectio, quae ipsa praecepti veritate, ratione Stobaei omnique poëtae doctrina, qualem aliis ex dictis novimus, multo magis commendatur. Quod enim in libro A ἐσφάλμεθα legimus, id non solum secunda manus in l. B. scripsit, sed etiam margo exemplaris Gesneriani habet. Itaque eorum, quae hominibus acciderent, alia quidem arte fieri, alia vero casu evenire sibi persuaserat, Aristot. Rhet. II, 19 (Fragm. 22), Eth. Eud. V, 5. Atqui mater est artium haud dubie prudentia. Cic. de Offic. I, 43, de Fin. I, 13. Vide Madvig. ad h. l. Ergo alia prudentia consequimur, alia casui, vel necessitati debemus. Jam cum plurima neque meditata eveniant, eaque spem hominum saepenumero fallant, Aristot. Rhet. II, 24; Gnom. Monost. 483; Horat. Sat. II, 8, 61; Cic. Tusc. V, 9; Sallust. Cat. 8, Jug. 1., res hominum omnino sic potuit describere, ut caussam fontemque errorum non tam prudentia diceret, sed fortuna vere contineri. Cic. de Divinat. II, 6.

10.

Stob. T. 29, 39 Ἀγάθωνος·

Ἰδίας ὁδοὺς ζητοῦσι φιλόπονοι φύσεις·

Sic versus in libro A atque editione Trinc. legitur, quem in Gnom. Monost. 550 numerarunt. Grotius:

Itinere trito non it anima industria.

11.

Stob. l. l. 31, 17 Ἀγάθωνος·

Ἀδικεῖν νομίζων ὄψιν αἰδοῦμαι φίλων.

Sic Trinc., Gaisford. Damasc. pro ἀδικεῖν habet δοκεῖν. Is autem ἀδικεῖν dicitur, qui leges deorum et hominum violat. Aristot. Rhet. I, 9; Hymn. in

Cerer. 368, Eurip. Phoeniss. 972. Itaque tametsi sapientem hominem opiniones sequi iisque decipi non decet, Cic. de Nat. Deor. II, 1, turpitudo, quae mala facinora sequitur, melius huc quadrat, quam temeritas in sententiis plerumque conspicua.

Inprimis conspectus amicorum verecundiam movet, Plat. Symp. pg. 178; Xenoph. Symp. 8; Cic. Lael. 13, 44, 22, 83. „*Maximum amicitiae ornamentum tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam.*"

12.

Stob. l. l. 38, 7.

Ὄλοιθ᾽ ὁ τοῖς ἔχουσι τἀγαθὰ φθονῶν.

Semel atque iterum ibidem hic versus legitur. Ac primo quidem loco quoniam nomen hujus adscriptum non habet, eum Vossius conjunctum superioribus attribuit Dionysio; sed paullo infra cum lemmate Ἀγάθωνος repetitus est.

Exstant vero quatuor fragmenta, quibus naturam invidiae declaravit, unum, de quo nunc dicimus, duo, quae Stobaeus l. l. 23 et 12 (Fragm. 13 et 14) servavit, quartum ap. Maxim. 54 superstes (Fragm. 15). Quae cum eodem olim loco disputata fuisse videantur, tali modo conjungenda existimo, ut imaginem viti, qualem poëta delineavit, animo intueamur. Is igitur invidiam ait, ex inaequabili bonorum possessione hominibus ortam, efficere, ut adversis aliorum rebus vehementer gaudeant, dolore autem capiantur, cum alios viderint majore fortunae favore utentes. Bio ap. Diog. L. IV, 6, 51. Quod, cum summae dementiae sit, tum ea de caussa vituperari debet, quia bona, quae invidi appetant, vilia ac fragilia habeantur. Neque enim ita insanum videri, si de sapientia, quod quidem summum est bonum, homines inter se obtrectarent. Haec autem disputatio magis praeceptorum esse, qui discipulos de viti turpitudine docent, quam tragicis personis convenire videtur, quae naturam invidiae vix possunt Agathonis exemplo aperire, quoquomodo de vitiis virtutibusque hominum copiosissime disserunt. Nihilo minus satis magnum ingeni acumen hoc loco miramur. Ait enim: Quicunque invidiae servit, hoc nomine reprehendendus est, primum quia non vero bonorum, quae alii habent, desiderio tenetur, dein, quod ea, quae concupiscit, ne nomine quidem licet bonorum appellare. Dubitari potest τἀγαθὰ ex φθονῶν. an ex ἔχουσι pendeat. Namque οἱ ἔχοντες simpliciter opulenti vocantur. Soph. Aj. 157.

πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ᾽ ὁ φθόνος ἕρπει.

Ubi recte Herrmannus scholiastam reprehendit, qui *τὸν ἔχοντα* pro *τὸν ὑπερέχοντα* interpretatur. Poet. Gnom. Monost. 808

αὐτὸς πενωθεὶς τοῖς ἔχουσι μὴ φθόνει.

13.

Ibid. 23. *Ἀγάθωνος·*

Σοφίας φθονῆσαι μᾶλλον ἢ πλούτου καλόν.

Nam et ipsa sapientia verum est bonum et cetera bona quasi mater gignit. Cic. de Off. II, 2, 5; Erasm. Adag. IV, 8, 60; Poët. in Gnom. Monost. v. 4.

14.

Ibid. 12. *Ἀγάθωνος·*

Οὐκ ἦν ἂν ἀνθρώποισιν ἐν βίῳ φθόνος,
εἰ πάντες ἦμεν ἐξ ἴσου πεφυκότες.

Eosdem versus Maximus 54 recepit. Voss. et Arsen. *ἦν ἐν ἀνθ.* scripserunt, quanquam hoc est contra vulgaria grammaticorum praecepta.

15.

Maxim. 54. *Ἀγάθων εἶπε, τοὺς φθονεροὺς τῶν ἀνθρώπων οὐχ οὕτως εὐφραίνεσθαι ἐπὶ τοῖς ἰδίοις ἀγαθοῖς, ὡς ἐπὶ τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς.*

Alia Bio ap. Diog. L. IV, 7, 3 docet.

16.

Stob. Fl. 46, 24. *Ἀγάθων·*

Ἀγάθων ἔφη, τὸν ἄρχοντα τριῶν δεῖ μεμνῆσθαι, πρῶτον μὲν ὅτι ἀνθρώπων ἄρχει, δεύτερον ὅτι κατὰ νόμους ἄρχει, τρίτον ὅτι οὐκ ἀεὶ ἄρχει.

Liber A nomen Agathonis habet.

17.

Ibid. 52, 6. *Ἀγάθωνος·*

Νεῶν γὰρ ἀνδρῶν πολλὰ κάμπτονται φρένες.

Sic A. Trinc.

18.

Ibid. 54, 4. *Ἀγάθωνος·*

Γνώμη δὲ κρείσσων ἐστὶν ἢ ῥώμη χερῶν.

Trincavellus versum Agathoni tribuit, qui in libro A nominatur.

19.

Ibid. 79, 12.

Ὡς ἡδὺ τῷ φύσαντι πείθεσθαι τέκνα.

In libro A, quem Trincavellus sequitur, Agathonis nomen adscriptum est. — τῷ φύσαντι h. e. πατρί. Cf. Porso ad Euripid. Phoeniss. v. 34.

20.

Stob. Eilog. Phys. I, 11.

Οὐπώποτ' ἠξίωσα χρήσασθαι τρόποις.

Hunc versum libri V. A. E Agathoni vindicant. Canterus:

οὔπωτ' ἠξίωσα χρήσασθαι τρόποις.

Sed Grotius partim ut metro consuleret, partim sensum refecturus, eum duplici modo tentavit:

Οὐπώποτ' ἠξίωσα χρήσασθαι χρόνῳ.

Qui quod οὐπώποτ' scripsit, placeret mihi conjectura, etiamsi fide libr. Farn. non confirmaretur. Sed displicet, quod χρόνῳ pro τρόποις reposuit. Quid hoc, quaeso, est? An: Nunquam volui tempore uti? Nimirum haec lectio nimis a prima scriptura differt. Quid vero est τρόποις χρήσασθαι? Figurae orationis τρόποι dicuntur? Sic locus valde mutilatus est. An vero mores, aut artes tali vocis potestate significantur? Steph. Thes. T. III. pg. 1636; Clausen. ad Aeschyl. Agam. 788.

21.

Ibid. I, 9, 16.

πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν
καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Hoc dictum Ursinus cum antecedentibus prave conjunxit, quae auctoritate librorum in fragmentis Simonidis (Bergk. Poët. Lyr. Gr. pg. 799) habentur. Tenent enim nomen hujus Cod. V. A. E; idque Canterus in margine addidit. Sed Gellius Noct. Attic. XII, 11. ***Propterea versus istos Sophocli, prudentissimi poëtarum, in ore esse habendos dicebat:***

πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ὁ πάνθ' ὁρῶν
καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Sic edit. Bip. Erasm. Adag. II, 4, 17, cum versus ex Gellio habeat:

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.

Gnom. Monost. 581:

ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

ibid. 587:

πάντ' ἐκκαλύπτων ὁ χρόνος εἰς τὸ φῶς ἄγει.

Alia Erasmus Adag. l. l. habet, quae vim versuum aliquatenus explicent.

22.

Aristot. Rhet. II, 19. *Ὅθεν καὶ Ἀγάθωνι εἴρηται·*

καὶ μὴν τὰ μέν γε τῇ τύχῃ πράσσειν, τὰ δέ
ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τέχνῃ προσγίγνεται.

Bekkerus sic habet; Grotius Exc. pg. 437, 171: *τῇ τέχνῃ πράσσειν ..... καὶ τύχῃ προσγίγνεται.* Si lectionem illius sequimur, hic locus ad explicandum sane non facilis est. Quomodo enim verba explicare praestat, ut apertum fiat contrarium, quod iis continetur? Num poëta hoc dicere voluit: Alia casu eveniunt, alia non item? Aristoteles quidem hoc dicto approbavit, ea, quae sine arte et cura fierent, facilius arte atque cura effici posse. Sed quomodo verba explicanda putamus? Ut sententia non manca videatur, haec verborum copulatio minime displicet: *τὰ μὲν τῇ τύχῃ — τὰ δὲ ἡμῖν — πράσσειν προσγίγνεται.* Itaque haec sententia est: Alia fortunae, alia nobis exsequi contingit. Quod mihi placeret, si exemplis confirmare possem, vim in vocabulo *προσγίγνεται* eandem inesse, quae verbo *συμβαίνει* exprimeretur. Duplex autem est ratio, qua verba explicare videor, una, cum interpretamur: Alia fortunae facienda tribuuntur, alia nobis contingunt. Itaque verbum audiendum est simile illi *προσγίγνεται*, quod cum *πράσσειν* conjungatur eumque infinitivum desideret. Alterum est, si *προσγίγνεται* ad *πράσσειν* refertur, *πράσσειν* vero ad *προσγίγνεται* rursus repetitur. Atque haec via si recta et expedita est, item duplex interpretatio admitti potest. Nam primum sic licet verba conjungere: *ἡμῖν προσγίγνεται, τὰ μὲν τῇ τύχῃ πράσσειν, τὰ δὲ ἀνάγκῃ καὶ τύχῃ,* tum: *τὰ μὲν τῇ τύχῃ πράσσειν προσγίγνεται .... τὰ δὲ ἀνάγκῃ καὶ τύχῃ προσγίγνεται ἡμῖν πράσσειν.* Sed haec utcunque disceptaveris, singula sententiae membra artificiosius inter se implicata miramur. Atqui Porso ad Euripid. Med. 1090 scripsit:

καὶ μὴν τὰ μέν γε χρὴ τέχνῃ πράσσειν, τὰ δέ
ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τύχῃ προσγίγνεται.

Quod Elmslejus ad Euripid. Med. 1062 non improbavit. Reisig. vero ad Soph. Oed. Colon. pg. 177, particulas *μέν γε* a tragicis nusquam copulatas existimans:

καὶ μὴν τάχ' ἄν γε τῇ τύχῃ πράσσειν τάδε
ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τέχνῃ προσγίγνεται

scripsit. In quo ab Hermanno ad Oedip. Colon. 28, ad Viger. pg. 827. reprehensus est.

23.

Aristot. Rhet. II, 24. οὕτω καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς ἐστι φαινόμενον ἐνθύμημα παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς εἰκός, ἀλλά τι εἰκός· ἔστι δὲ τοῦτο οὐ καθόλου, ὥσπερ καὶ Ἀγάθων λέγει·

τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι,
βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.

Cf. Poet. 18; Erasm. Adag. Chil. IV. 8, 61; Nostr. Hist. Crit. pg. 167.

24.

Aristot. Eth. Nicom. VI, 2. διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων·

μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

v. Libri ἀγέννητα habent, Grotius ἀγένητα, id quod a plurimis doctissimisque est probatum, Stallbaum. ad Platon. Protag. pg. 319 D., Schaefer ad Apollon. Rhod. II, pg. 119. Sed male Grotius ἦν scripsit.

Similia dicta ap. Theognid. v. 583 (ed. Bergk.); Pindar. Ol. II, 15; Simonid. ap. Bergk. Poet. Lyr. pg. 768; Soph. Trach. 740; Platon. de Legg. II. pg. 943. A., Protagor. pg. 324. B.; Horat. Carmin. III, 29, 41; Cic. de Fin. I, 1, 2, in Pison. 25, 59; Mitscherl. et Orell. ad Horat. Carm. l. l.

25.

Aristot. Eth. Eud. III, 1, 5. Καθάπερ καὶ Ἀγάθων φησί·

φαῦλοι βροτῶν γὰρ τοῦ πονεῖν ἡσσώμενοι
θανεῖν ἐρῶσιν.

Vide Grot. Exc. pg. 437.

26.

Ibid. V, 5.

τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην.

Paullo aliter Gnom. Monost. 468:

τύχη τέχνην εὕρηκας, οὐ τέχνη τύχην.

27.

Schol. ad Soph. Trachin. 640. ἐνθ' Ἑλλάνων ἀγοραί· ὅπου συνάγονται οἱ Ἀμφικτύονες εἰς τὴν λεγομένην Πυλαίαν, περὶ

ἧς Ἀγάθων φησὶ, Πυλάδην τὸν Στροφίου κριθῆναι ἐν τῇ Φωκίδι, καθαιρόμενον τὸ ἐπὶ Κλυταιμνήστρᾳ μύσος καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν σύνοδον Πυλαίαν φησὶ προσαγορεύεσθαι, ἢ ὅτι ὁ τόπος πύλαι τῆς Ἑλλάδος.

Quae quanquam in tragici poëtae fragmentis possunt numerari, tamen eodem jure alteri Agathoni adscribimus, qui de fluviis scripsit, Stob. Floril. 100, 11, et *περίπλουν Πόντου* reliquit, Schol. ad Apollon. Rhod. II, 1015.

28.

Marc. Antonin. *τῶν εἰς ἑαυτ'* IV, §. 18. *Ὅσην ἀσχολίαν κερδαίνει ὁ μὴ βλέπων, τί ὁ πλησίον εἶπεν ἢ ἔπραξεν ἢ διενοήθη, ἀλλὰ μόνον τί αὐτὸς ποιεῖ, ἵνα αὐτὸ τοῦτο δίκαιον ᾖ καὶ ὅσιον ἢ κατὰ τὸν ἀγαθὸν μὴ μέλαν ἦθος περιβλέπεσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τῆς γραμμῆς τρέχειν ὀρθὸν μὴ διερριμμένον.*

Partim ob articuli usum, partim propter vim verborum, quae poëtae fuisse videntur, Xylander Annot. pg. 333 *τὸν Ἀγάθωνα* pro *τὸ ἀγαθόν* posuit. Quod Gatakero haudquaquem displicuit. Interpres Lugd.: *δεῖ κατὰ τὸν Ἀγάθωνα.* D. Jun. *ἀγαθὸν* retinuit. Simile est, quod ap. Aristot. Poët. 15. Codd. Guelph., Paris. 2040, Mss. Morell., Med. C., vers. Vallae, editt. Victor., Ald., Basil., Wechel. commutatum reperimus. — De hoc loco sententiae Xylandri facile suffragamur.

29.

Phalar. Ep. 87 hi versus:

πολλῷ δὲ κρεῖσσόν ἐστι, μὴ δεδοικότα
παθεῖν τὸ μέλλον δεινὸν, ἢ δεδοικότα·

leguntur, quos Porso ad Eurip. Med. 139 Agathoni assignavit. At ingens fortasse copia fragmentorum reperiretur, quae, si tales omnio rationes sequeremur, deberent in Agathonis reliquias referri.

Scripsi Sagani a. d. XI. Cal. Jun. MDCCCXLV.